



Consilia Seu Responsa Juris

Schmalzgrueber, Franz

Augusta Vindelicorum & Ratisbonae, MDCCXL

Cons. XVI. Juris Piscandi. Innuitur, quid sit præstandum, ut quis sufficienter probet Jus piscandi cumulativum, aut etiam privativum: & quis habeat Jus mulctandi piscantes in loco prohibito.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72304](#)

versos esse solet Sedes Apostolica, ut etiam, si justa sit causa, retentionem illorum ipsis dispensative concedat. Et ita Serenissimus Rex Poloniæ nuper defunctus pro Saxonibus suis, ut hos ad amplectendam Catholicam fidem alliceret, dicitur ante mortem suam petiisse, & impetrasse dispensationem ad retinenda bona Ecclesiastica, si qui ex iis Lutherò renuntiarent, & talia bona haec tenus possedissent.

QUÆRITUR III.

Utrum consultum sit Principibus, & statibus Protestantibus, vel horum Successoribus Catholicis, si bona Ecclesiastica, ab illis possessa, liberè alienare possent?

23. Respondeo, neutris fore consultum. Non Catholicis; vel enim ipsis Catholicis hæc bona alienantur in alios, quam in eos, ad quos spectabant; vel alienationem hanc paterentur ab antecessore Protestantente, cujus hæredes sunt. Primum Catholici, Protestantium successores salvâ conscientiâ, nisi cum consensu Sedis Apostolice, facere non possunt licite, cùm agnoscere debeat, bona ista ad se nullo justo titulo pertinere posse. Secundum non leve præjudicium afferret successor Catholicus; fortassis enim iste dispensationem Apostolicam ad ea retinenda impetraret, si peteret. Adde, quod tali alienatione, si ista ab antecessore fieret in alium emptorem Protestantem, durior fieret causa rei Catholicæ, quæ hoc modo non posset amplius sperare restitutionem bonorum istorum, quam concipere posset, si bona ista cederent successori Catholicico.

24. Protestantibus autem talis libera alienandi potestas ex ipsis eorum principiis foret summè noxia; cùm enim apud hos bona Ecclesiastica sèpè potiorem, fere semper

magnam partem redditum annuorum conficiant, si forte antecessor ob malam gubernationem ære alieno Cameram suam oneraret, & propterea bona Ecclesiastica cogeretur vendere, ejusdem successor haud dubiè conquereretur, quod talibus debitis, ab antecessore relictis, oneratus, subtraet & sibi per alienationem bonorum Ecclesiasticorum tantâ redditum parte, statum suum pro dignitate amplius sustinere non valeat. Accidere autem alienatio hæc præcipue posset in casu, quo Princeps Catholicus, videns se liberis caritatum, & sic in ditionibus suis successurum agnatum, Catholicum, in hujus fraudem bona Ecclesiastica venderet, quorum partem fortasse successor Catholicus per imperatam Româ dispensationem retinere posset.

DICENDUM proinde pro resolutione 25.
hujus Controversie 1. neutquam Acatholico, vi instrumenti pacis Westphalicae, tuis Controversiæ. bonorum Ecclesiasticorum, à se occupatorum, proprietatem obtinuisse, & sic bona hæc nullo modo pro allodialibus haberi posse, quippe cùm bona allodialia sint, & esse debeat proprium habitantis patrimonium, & sic propria esse debeat. Et sic 2. Principem, vel statum Catholicum, si ad sacra Catholica, abdicata Confessione Augustanâ, transeat, non amplius gaudere posse favore pacis Westphalicae circa possessionem bonorum Ecclesiasticorum; quia possessio horum est solum tolerata, vel potius nuda detentio, cuius vitium Princeps, vel status conversus hoc ipso debet agnoscere, adeò ut liceat dispensatione retinere illa non amplius valeat. Idem dicendum de successore Catholicico, Principis Protestantis successore. Denique 3. ex ipsis Acatholicon principiis non esse consultum, sed summè noxiū, si Principes Protestantes bona Ecclesiastica liberè in alios Protestantess extraneos alienare possent. Ita salvo meliore &c.

CONSILIO XVI.

In causa controversi juris piscandi.

SUMMARIUM.

1. *Facti species.*
2. seqq. *Potest præscribi jus piscandi vel cumulatively, vel privatively.*
3. *Ad præscribendum jus piscandi requiritur vel tempus immemoriale:*
4. *Vel scientia & patientia domini.*
7. *Præscriptio non debet esse interrupta.*
8. *Deciditur Quæstio.*
9. seqq. *Discutitur, an reus sortiatur forum in loco delicti inchoati, an vero in loco delicti consummati.*
14. seqq. *Pœna pescantium in loco prohibito.*
18. *Deciditur tota Controversia.*

FACTI SPECIES

I.



Anubius territorium Z. & M. interfluit, atque unum ab altero dividit, ita, ut fluvius iste inter utramque ditio- nem limes sit. Jus piscandi in hoc plenarium pertinet ad subditos territorii M. ita tamen, ut subditi Z. ab antiquissimo tempore prætendant, & exerceant, exercuerintque exiguum aliquod jus in eodem Danubio piscandi hamo mit dem Feder Angl, sicco tamen pede, stando in ripa territorii Z. Contradicit hoc jus dominus territorii M. & in proximo est, ut contra Z. subditos Processum instituat. In hac facti specie

QUÆRITUR I.

An timeri merito possit, ne subditi Z. si Processus contra ipsos instituatur, in hujus juris, ab antiquissimo tempore hucusque exerciti, defensione succumbant?

2.

R. Interesse, an subditi M. jus piscandi in Danubio obtinuerint privilegio, an verò solum Præscriptione. Si privilegio, literæ, quibus concessum fuit hoc privilegium, iniiciendæ sunt, quæ proin dabunt, quid juris iisdem competat; nam, si jus piscandi iisdem non tantum cumulativè, sed privativè respectu subditorum Z. concessum fuit, hos illi prohibere possunt, ne piscentur in Danubio, nisi etiam Z. jus istud eo modo, quo illud haec tenus exercuerunt, præscriperint: quod omnino potuerint sic obtainere. Licet enim hodie jus piscandi, seu Pilcati- num redditus etiam in flumine publico Princeps passim sibi solis vindicaverint, & ideo redditus hi inter istorum regalia connu- merentur

lib. 2. feud. tit. 56.

adeò, ut nemini in flumine publico piscari licet, nisi quibus id Princeps concederit, tamen certum est, quod jus hoc etiam contra Principem, & illos, quibus jus hoc Princeps concessit, præscribi possit vel cumulativè, vel etiam privativè. Et sic teste

*Cæpoll. de servit. R. F. c. 42. n. 3.**Schulz. Synt. Inst. de R. D. lit. B.*

multis in locis accolæ fluminum publicorum jus in iis piscandi præscriptionis, vel consuetudinis beneficio obtinuerunt: &

hoc èò facilius, quia Præscriptio hæc, & consuetudo non est contra, sed juxta LL. Romanas, juxta quas, allegato etiam jure naturali, piscatio in mari, & fluminibus publicis cuique est libera, adeò, ut per ea, quæ

I. injuriarum 13. §. 7. ff. de injur. ait Papinianus, injuriarum tenetur, qui alterum in mari (vel etiam in flumine publico) piscari prohibuerit, vel à Piscatione impide voluerit. Cùm ergò ad statum primævum facilius redeant, quæ successu temporis mutata sunt, licet defacto jus piscandi Principibus, & iis, quibus hoc ipsi concederunt, competit, tamen consuetudine, vel præscriptione contra istos rursum acquiri id potest.

Si Præscriptionem tantum, sine privilegio scripto, allegent M. aliud jus non possunt prætendere, quæ quod possederunt; quia tantum existimatur præscriptum, quantum possessum.

I. Prator ait. 1. §. si quis 4. & ibi Gloss. & Bart. ff. de itin. actuque privat. Paris. conf. 114. n. 23. & seqq. vol. 1. cum iniquissimum sit auferre domino, quod usus non abstulit, ut ait Papinianus

I. nec utilem 20. ff. ex quib. caus. major. Jason. in l. 3. princ. n. 35. & seqq. ff. de acquir. possess. Rebutt. de mater. possess. in præfat. n. 195.

Interessit ergo, an M. si solum beneficium Præscriptionis allegent, jus piscandi in Danubio præscripserint cumulativè tantum, an privativè etiam; potest enim utroque modo jus acquiri per Præscriptionem, & quidem privativè, si quis pluribus annis solus piscatus est, & alios piscari prohibuerit, sciente populo, & non contradicente

Natta conf. 522. n. 33. tom. 3. Boët. decis. 372. n. 2. Besold. thesaur. adiunct.

V. Gilcherey. ¶. quamquam, & seq. Cumulative autem tantum jus piscandi præscripsiisse dicetur, qui jus quidem istud possedit, atque exercuit, alios autem compescantes à piscatione exercenda non prohibuit; nam, ut bene

Klock. tom. 1. conf. 33. n. 10. Jus possidendi diversum est à jure prohibendi, nec enim continuèis, qui in possessione juris alicujus est constitutus, inde sibi jus interdicendi cæteris juris ejusdem usum vendicare potest. Licet verò etiam privativè subditi M. Præscriptione, vel etiam privilegio obtinuerint hoc jus, tamen potuisset contingere, ut successu temporis etiam subditi Z. contrariâ Præscriptione obtinerent jus compiscandi: quo dato, prohiberi ab ejus usu non possent amplius. Proin

QUÆ-

QUÆRITUR II.

*Utrum non saltem jus piscandi
cumulativum subditi Z. præscriperint?*

4. **A**lllegant illi tempus antiquissimum, & immemoriale, quo istud hucusque exercuerunt, & adhuc exercent: quod si verum est, & sufficienter probetur, saltem jus compescionis negari ipsi non potest; quippe cum jus piscandi, & multo magis compescandi saltem tempore immemoriali, etiam in alieno territorio, præscribi possit, paritate ductâ à jure venandi, quod intra hoc tempus ita præscribi potest, ut monent

Modest. Pistor. c. 14. n. 23. & seqq.
Sixtin. de Regal. c. 18. n. 55. Myns.
cent. 4. obs. 63. Gaill. libr. 2. obs. 66.
n. 7.

Imò alii contenti sunt 10. annis inter præsentes, 30. inter absentes: quod etiam sustineri potest, si quis in fundo alieno hoc jus, tanquam servitutem, & in proprio, tanquam jus fundo adhaerens, non verò tanquam regale, exercuit.

Philipp. p. I. tit. 34. §. 7. & ab hoc cit.

5. **P**roinde, ut subditi Z. quoad jus compescandi, à se prætensum, in processu, forsan contra ipsos instituendo, causam suam obtineant, probare iidem debent 1. quod à tempore antiquissimo, & immemoriali hoc jus exercuerint: quod fieri, si testes senes de communitate deponant, quod ita ipsis viderint, & antiquitus ita factum, & observatum fuisse à parentibus, & majoribus suis intellexerint, & nunquam aliter.

I. si chorus 78. ibi, rusticos senes ita dicentes. ff. de legat. 3. Gaill. obs. 66. cit. n. 9.

6. 2. Si tantum tempus, hoc est, immemoriale non fluxerit, probanda est præter tempus ad præscribendam servitutem, vel jus in alterius fundo requisitum, scientia, & patientia domini, vel ejus officialium; nam hæc posterior officialium scientia etiam ad præscribendum contra dominum sufficit, ut post Bart. Cravett. Alter. firmat

Menoch. conf. 1000. n. 66. Bursat. conf. 51. n. 12. Joan. Petr. Surd. de c. 4. n. 6. ubi & alios plures cumulat.

quod præsertim locum habet, quando iusmodi officiales quasi mandatum cum libera, & plenam administrationem habent. Aliud est, quando adeat, & probatur tempus immemoriale; nam, ut

Berous conf. 144. n. 87. vol. 3. & Klock. tom. 1. conf. 33. n. 19.

notant, ex cursu immemoriali servitus,

vel jus etiam sine scientia, & patientia adversarii, & absque eo, quod quis fuerit usus jure servitutis, vel alio jure, acquiritur.

3. Docendum (quod tamen magis incumbit adversario neganti præscriptiōnē) quod præscriptio allegata nunquam fuerit interrupta, vel naturaliter, quando scilicet post eam rite inchoatam aliqua ex conditionibus requisitis deficit, forte quod mala fides superveniat, titulus resolvatur, possessio amittatur; vel civiliter, quando jus possidendi per aliquem actum juridicum in dubium revocatur, quod sit per citationem, litis contestationem, & maximè per sententiam. Inter quos tamen duos modos duplex notabile discrimen intercedit. Primum est, quod si præscriptio sit interrupta naturaliter, cessante impedimento, reviviscat non secus, nisi nulla interruptio contigisset, ut adeò tempore ordinario, à cessatione impedimenti numerando, compleri possit; at si interrupta sit civiliter per contestationem litis, exigit 40. annos à punto interruptionis, ut possit perfici.

I. fin. C. de præscript. 30. vel 40. ann.
Molin. tract. 2. de J. & J. D. 78. n.
22. Palao tract. 31. D. un. p. 22. §. 16.
n. 8.

alterum est, quod, si præscriptio interrupta sit naturaliter, interrupta illa censemti debeat quoad omnes; quia, deficiente possessiore, deficit unum ex principalibus requisitis ad præscriptionem. At si civiliter solum interrupatur per contestationem litis, vel citationem, solum interrupta illa censembit respectu illius, cum quo lis est copta. Non verò respectu tertii, cum quo nulla est actio, cui proinde ista interruptione nec prodest, nec obest.

I. res inter. 2. C. quib. res jud. non noc.
Gonzal. in c. 8. de præscript. n. 7. Hau-
nold. tom. 1. de just. tract. 5. n. 335.

Imò nec contra eum, cum quo contestata lis est, absolute præscriptio interrupitur, sed solum sub conditione, si possessor in lite succumbat, ut recte

Molin. tr. 2. D. 78. n. 14. Less. lib. 2.
c. 6. n. 49. Palao §. 16. cit. n. 4. Hau-
nold. dict. tract. 5. n. 340.

Hinc si possessor postea absolvatur, præscriptio eodem modo censenda est perrexisse, acsi per item contestatam nunquam fuisse interrupta.

Quare ad secundam hanc quæstionem dicendum, si doceatur 1. quod subditi Z. jus piscandi eo modo, quo usi illo fuerunt haec tenus, videlicet hamo dunctaxat, & consistentes in sicco, usi fuerint per tempus antiquissimum, & immemoriale; maximè 2. si accessit scientia, & patientia subditorum M. de quo tamen non est dubitandum, cum in eorum conspectu hoc fecerint. 3. si per contrarios actus possessio illorum nunquam fuit interrupta

7.

8.

terupta usque ad præsens tempus, aut subditi M. quidem voluerint illos prohibere, isti tamen post monitionem libi insinuatam perrexerint uti prætenso suo jure, & pollea iidem M. usque huc acquieverint, non posse merito timeri, ne in instituto contra se processu sucebant subditi Z.

QUÆRITUR III.

An, si contra spem subditi Z. in prætenso hoc suo jure succumberent, & nihilominus pergerent illiuti, jus multandi illos habeat Dominus M. vel Z.?

9. Prior Dominus jus istos multandi prætendit; proinde petit, ut delinquentes listantur ad suum forum: contrarium putat Dominus Z. & quidem ex hoc fundamento; quia in casu substrato delinquens stat in ipsius territorio, quamvis effectus delicti contingat in altero, scilicet in Danubio, ubi jus piscandi subditis M. competit, ut adeò Dominus M. videatur debere coram Domino Z. delinquentem accusare: consequenter ite jus habeat multandi delinquentem, cùmque obligandi ad resarcendum damnum sic illatum.

10. Hanc quæstionem nuspiciam invenio in jure decisam: videtur tamen duci argumentum posse ex casu, quo quis stans in territorio e. g. Dilingano explosit sclopum, & globo illius occidit alium, consilente in territorio Neoburgico. Ubi tamen non est eadem omnium DD. sententia; nam in modis quidam cum

Cyno in l. 1. C. ubi de crim. ag. oport. putant, patratorem casus sortiri forum in loco delicti inchoati, seu ubi sclopum explosit, argumento ducto à tempore ad locum; nam si quis lethaliter fauciatur postea decedat, initium inspicitur.

l. huic scriptura 15. in princ. & l. ita verberatus 51. ff. ad leg. aquil.

igitur etiam inspici locus debet, ex quo facta est explosio, & causa neci data.

II. 2. Alii contra cum non exigunt autoritatis DD. & inter hos cum

Bartol. in l. libellorum 3. ff. de accusat.

Felin. in c. fin. de for. compet. n. 14.

Zanger. de except. p. 2. c. 1. n. 233.

volunt, reum tali casu sortiri forum in territorio delicti consummati, idque tum, quia in delictis potius qualitas patientis, quam agentis attenditur; tum verò quia delictum ibi commissum censetur, ubi illud perficitur, & formam accipit

arg. l. Julianus §. 9. sed si 3. ff. ad exhibend.

3. Alii, & probabilius docent, tali causa reum sortiri forum in utroque territorio, atque idcirco inter utriusque territorii magistratus, & judices locum præventioni esse. Ita

Abb. in c. fin. cit. n. 25. Ant. de Buetrio ibid. n. 1. Clar. s. fin. q. 38. n. 9. Farin. prax. crim. lib. 1. q. 7. n. 46. Brunnen. in l. 1. C. ubi de crim. ag. oport. n. 16. Oliva For. Eccl. p. 31. q. 20. n. 87. Pirhing ad tit. de for. compet. n. 28. Engl. ibid. n. 32. König n. 58. Schan bog. n. 17. Wielchner n. 93, & colligitur aperte ex l. 1. cit. ubi Imperatores dissertè afferunt, quæstiones criminum perfici, ubi commissa, vel inchoata sunt. Ratio est, tum quia etiam conatus criminis in crimen incidit; tum quia tali delicto injuria sit utriusque territorio, ut proinde ab utriusque territorii judice delicti reus trahi ad ejusdem vindictam possit.

Ex arguento igitur hujus tertiae sententiae, & maximè ex ratione secunda, in istius confirmationem adjecta, is, qui in casu substrato piscatur in Danubio ex Z. subditis post sententiam, contra ipsos latam, & intimatam, videtur judicari posse, mulctarique in foro tam M. quam Z. nam delictum hoc cedit in contemptum utriusque judicis, illius quidem, dum jus ejusdem, quod circa punctionem privativam in Danubio habet, violat; istius autem dum prohibitionem ejusdem, quâ sententiam, contra subditos suos latam, insinuavit, transgreditur. Proin ita delinquens pro judicatura, & mulcta imponenda non est necessariò remittendus ad Dominum M. præterim si Dominus Z. processum contra ipsum jam inchoavit; nam, ut dicitur

l. ubi acceptum 30. ff. de judic.
ubi judicium ceptum est, ibi & perfici debet. Quia tamen hic agitur de damno, per vetitam punctionem illato, & compensatione illius, mulcta, à Domino Z. delinquenti imposita, Domino M. qui jus piscandi privativè in Danubio habere per sententiam dignoscitur, transmitti debet.

QUÆRITUR IV.

Quâ pœnâ afficiendi sint, qui exercent punctionem in loco sibi prohibito?

PLura sunt loca, in quibus pisces nascuntur, vel etiam aluntur. Et 1. quidem est mare vastissimum. 2. flumina publica, qualia plerumque sunt, quæ narium patientia sunt. 3. flumina privata, die Privat-Bluß. 4. Lacus, die See, und Weyer. 5. Stagna, sive aquæ stagnantes,

CONSILIU M XVI. JURIS PISCANDI.

193

tes, die Alt-Wasser. 6. Piscinæ die Fisch-Behaltereyen. Quod attinet ad mare, licet, ut num. 2. dictum est, piscatio ibidem sit libera, quia mare omnibus gentibus commune est; cùm tamen illud, ejusque dominium nonnulli principes, & Republicæ majores sibi jam vindicaverint, cum hoc jure illi simul etiam nescio, quos reditus, non solum in regalibus, & portoriis, sed etiam jura pescationum sibi asseruere. Quia tamen privatis, qui in mari pescantur, nulla poena statuta, nec etiam illa in istos fertur, res ista ad præsentem quæstionem non pertinet.

15. Longè amplius, quam in mari, jus sibi hodie vindicant principes quoad flumina publica quoad illam portionem, quam territoria illorum alliunt, vel interfluunt; in his enim nemini sine Domini territorii licentia, & indulto exercere pescationem, præter modicam illam, quam per hamum virgæ appensam (quod ubique impunè fit) permisum est, adeò, ut in diversis locis certæ poenæ sic pescantibus statutæ sint.

Sixtin. de regal. libr. 2. c. 18. n. 9.
Struv. Synt. jur. feud. c. 6. aphor. 7. n. 10. Knicken de Saxon. non. Prov. Jur. lib. 2. c. 5. n. 152. Rhei. inst. jur. publ. lib. 2. tit. 18. §. 3. Philoparch. inform. offic. p. 1. tit. 31. §. 17.

nam quod juris circa venationem, & aucupium, id circa pescationem quoque principes sibi sumperunt: & ideo ab una ad alteram istarum communiter procedit argumentum, ut notat

Besold. Thesaur. pract. adiunct. V. Scheray.

sicut ergo venationem, vel aucupium prohibutum exercentes pro qualitate delicti puniri solent, ita & illi, qui sine licentia pescantur in flumine publico, in quo pescationum reditus sibi princeps regalium jure appropriavit. De jure communis certa non est taxata: hinc consideranda sunt loci cuiusvis statuta; ubi vero tale statutum non invenitur, poenæ taxatione relinquenda est arbitrio judicis.

16. Similiter arbitria, sed gravior, quam in flumine publico, erit pena pescantium in flumine privato, seu quod est in dominio privatorum; nam postquam hujusmodi flumina ad privatorum devenerunt dominium, etiam pisces, qui sunt fructus, si non fluminis, saltem juris pescandi, ad possesseorem ejusdem pertinent, & propterea tertio jus non est, dominum fluminis privandi usufructu rei sua, vel juris sui. Et hinc, ne eorum domini laedantur in hoc suo jure, quod antiquitus variis titulis etiam onerosis obtinuere, merito pescatio in his fluminibus aliis est prohibita: si vero quis contraveniat, poenæ subjacet per

Carolin. Poenal. art. 169. ¶. So aber einer.

R. P. Schmalzgrueber Consilia.

ubi statuitur, ut talis, qui in flumine privato, ubi pisces non sunt inclusi, sed exire, & intrare possunt, pescatur, inspectâ conditione personæ, qualitate facti, & pescationis, puniatur vel in ære, vel etiam in corpore.

Longè magis adhuc puniuntur illi, qui pescantur in alieno lacu, ubi tamen discrimen faciendum est inter lacus majores, ut est Bodamicus, & inter minores, qui vulgo Weyer appellantur; nam in lacu majore, cùm integra flumina per hujusmodi lacus transeant, aut ex iis oriantur, pisces adhuc libertate sua naturali gaudent, & ideo, ut in fluminibus, ubi quis pescandi jus habet, ita etiam in tali lacu majore, pisces tum denum ad ipsum pertinent, quando capiuntur. At in lacu minore, Weyer, quippe cùm hujusmodi lacus potius vivaria sint, pisces jam habentur pro captis, & sunt illius proprii, qui curavit eos ponit, & includi in tali lacu. Proinde minus delinquit, qui pescatur etiam in flumine privato, vel lacu majore, & minus puniri debet, quam qui in lacu minore, seu vivario; nam pisces ex his surripiens ob rationem modo datam furtum committit, in eo, si deprehendatur, condigne puniendum. Erit autem poena haec, ut notat

Illustrissimus Dominus Baro Schmid
ad statut. Bavar. tit. 29. art. 3. n. 1. ¶.
si dicas.

arbitraria, pro qualitate delicti, & circumstantiarum ejus taxanda, & vel aggravanda, vel mitiganda; nam durius puniendus est, qui magnam quantitatem piscium, quam ille, qui solum unum, vel alterum subtraxit; item gravius ille, qui piscinas effregit, vel si fuerint muro, aut pariete ligneo inclusæ, ad illas per scalas descendit, quam qui occasionaliter tantum unum, vel alterum pescem clandestinè subduxit: similiter graviorem meretur poenam, qui forte integrum lagenam, magnis, & pretiosis piscibus plenam, quam qui pauculos duntaxat, & vilissimi pretii furatus est. Proinde ex hac tenus deductis sequitur &

DICENDUM 1. et si subditis M. 18. vel privilegio, vel consuetudine, aut prescriptione competisset ab antiquissimis Controversiis temporibus jus in Danubio pescandi privativerè ad subditos Z. tamen istos successu temporis potuisse præscribere jus compescandi, ita, ut modo non amplius possint excludi à compescatione, quo modo illum hactenus exercuerunt, prout patet ex dictis ad questionem Imam. Quod vero jus istud dicto modo exercendum subditi Z. præscriperint patet ex possessione immemoriali, quo jus hoc illi possederunt; nam 2. allegant pro se possessionem immemorialem cum scientia, & patientia subditis

(Bb)

subditorum M. semper toleratam, & nunquam interruptam, secundum dicta ad Questionem 2dam. Debuissent enim subditi M. si habuissent jus piscandi privativè, contradicere, & videntes, quod etiam subditi Z. piscarentur in Danubio, eosdem prohibere à pescatione. Cum ergo hoc nunquam factum sit, vel si factum est, subditi Z. tamen in suo modo perrexerint, signum est, quod subditi M. jus hoc privativum excludendi illos à pescatione vel nunquam habuerint, vel antea habitum præscriptione amiserint. Quodsi autem 3. contra spem subditi Z. in dendo hoc suo jure compiscandi deficerent, & persentientiam contra ipsos latam, prohibiti, adhuc pergerent imposterum in

pescatione, pœnam quidem incurrent, in hac tamen ferenda juxta dicta ad Questionem 3tiam, inter judicem M. & Z. locus foret præventioni, quam tamen præventionem judex M. exercere vix poterit, quippe contra existentes extra suum territorium, ubi opus esset remissione, quam remissionem judex Z. meritò negare in casu hoc poterit. Porro pœna hæc 4. per dicta ad Questionem 4tam. cum pescatio sic prohibita fiat in flumine publico, ubi pisces naturali suâ libertate, antequam capiantur, gaudent, erit arbitraria, minor tamen, quam si fieret in flumine privato, vel lacu, aut stagno, taxanda pro qualitate delicti, & circumstantiarum illius.

CONSILIO XVII.

In causa Collectarum, quarum remissionem Officialeis per exaggerationes nimias, & ex parte falsas impetravit.

SUMMARIUM.

1. Facti species.
2. seqq. Opposite opinions, an & cui Collecta, quarum remissio ex falsa causa impetrata est, debeant restituui.
11. Ex oppositis Theologorum opinionibus nascitur utrinque probabilitas:
12. seqq. Et hinc bona, de quibus tale est dubium, comparantur bonis incertis,
14. Quæ erogandas sunt in causas pias.
15. seqq. Rationes, ex quibus in substrato causa diuina formatur.
19. seqq. Rationes contrarie stitudinem hujus dictaminis proponuntur, & solvuntur.
33. seqq. Bona incerta ex delicto applicanda sunt ad causas pias.
35. Incerta sine delicto, possunt retineri.
36. Indagandus est dominus bonorum incertorum; quid si compareat dominus post erogationem?
37. Applicatio pecuniarum in hoc casu facta approbat.
38. Non licet occulte compensare operam suam aliunde debitam.
39. Licet compensare operam aliunde non debitam.
40. 41. Conditiones ad occultam compensationem requisita.
42. Resolvitur, in praesenti casu posse retineri, quod per tacitam compensationem acceptum est.

FACTI SPECIES.

I.



Empronius certi cuiusdam Monasterii Praefectus, vi muneric sui, etiam nomine Principis territorialis, ac statuum Provinciarium à subditis colligere debet steuras, ut vocant, & alias impositiones, seu præstationes publicas. Harum impositionum, & Collectarum remissiones satis notabiles (nam intra sedecim annos, quo Sempronius præ-

est officio huic suo, remissiones istæ ascendunt ultra 20000. fl.) obtinuit subditorum eorundem nomine mediis exaggerationibus damnorum, quæ isdem per grandinem, inundationes, & similes casus illata fuissent, partim nimis, partim etiam falsis; nam aliqui nihil hujusmodi passi sunt.

Successu temporis subortum eidem Sempronio fuit dubium, an non remissiones istæ fuerint invalide impetratae, ac proin æario publico restituendæ. Proin, ut conscientiam suam tutam redderet, trium Theologorum consilium exquisivit, quorum unus respondit, sibi videri prædictas remissiones nulliter, & invalide impetratas